Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2733
Quelle:
Copyright:

na et gratia dei ad ſummam perfectionem proficientem. Et deſcribit humanam naturam tamquam dominam utpote que omnibus rebus ſeculi debet dominari. Virtutes autem deſcribit tanquam virgines pulcherrimas. utpote que alios ad perfectionem perducant. Hunc autem tractatum nos textualiter ad compendium redigimus ut poſſit ſpiritualia ſapientibus per modum hyſtorie recitari. Procedit ergo quaſi ſub ſimili ſenſu. Natura humana a deo naturata conſiderans corruptionem et imperfectionem ſuam &c. Et finit: *et in regnum ſuum captiuam duxit captiuitatem cuius regni non erit finis in ſecula ſeculorum Amen.*

DCCLV.

363 Codex membraneus lat. Sec. XIV. et partim XIII. Folior. 52. f. priori parte per 2. columnas, poſteriori lineis longis exaratus, rubricisque diſtinctus exhibet: I. Narratiunculam de Sermone *F. Jordani* habito cum malo Daemone de claritate vultus Dei, quae incipit: *Cum magiſter iordannus quadam die dominica tranſiret uillam in francia rogatus a populo fuit ut uiſitaret mulierem obſeſſam* &c. *Jordanum* hunc *Saxonem* habeo Ordinis Praed. alterum a B. *Dominico* Magiſtrum, de quo multa in *Actis SS.* T. II. *Febr.* ad diem 13. et in *Quetifi Scriptt. Ord.* T. I. p. 93. Utrobique tamen Dialogus noſter deſideratur.

II. a *fol.* 1. Sequuntur *Sermones* III. ἀδέσποτοι. Primus *de Paraſceue* incipit: *Reſpice in faciem chriſti tui. Pſ. Conſuetudo eſt quod quando pauperes et mendici. eſurientes et nudi debiles et infirmi iuxta uiam ſedent* &c. Alter *de Penitentia et remiſſione* incipit: *Qui non accipit crucem ſuam et ſequitur me. non eſt me dignus. Mat. X. legitur in ueteri teſtamento in libro numeri. C.XX. Quod cum populus iſrael exiret de terra egypti* &c. Tertius inſcriptus *Tractatus de cena domini* incipit: *Legitur in apoc. XIX. c. quod beatus Johannes uidit angelum ſtantem in ſole qui clamauit uoce magna* &c. Non ſunt infimae notae, minime vero *Primus.*

III. *fol.* 16. *Incipit Prologus in libro de uita beate elyzabet.* Initium: *Cum de uita ac moribus et morte miraculisque beate elyzabeth perſcrutari cepiſſem* &c. Eſt haec *Elisabeth Andreae II. Hung.* Regis filia, *Ludovici Pii Thuringiae* et *Haſſiae* Landgravii uxor, quae Marito quinquennio ſuperſtes a. 1231. vivis exemta et a *Gregorio* IX. a. 1235. Sanctorum Albo inſerta eſt. Vitae illius, quam in VIII. *Libros* diviſam prae manibus habemus, Autor eſt *Theodoricus*, vel, ut *Codex* noſter legit, *Dithricus* O. P. *Thuringus*, quem non ſat firma ratione a *Theodorico de Apoldia* ejusdem patriae, aevi et inſtituti diſtinctum cupit *Quetifus* in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 414. qui et p. 453. locum ejus natalem *Apolda Weilani* adpellat, fortaſſe, quod alicubi *Apoldsweil* vel *Apoldsweiler* legerit. Primus lucubrationes ejus etulit *Henr. Caniſius* T. V. *antiq. Lect.*